



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XXI. An saltem alienatio rei Ecclesiasticæ facta cum iusta causa, sed sine debita iuris solennitate valida sit in foro externo, vel conscientiae?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

vbi declaratur nulla alienatio, quæ in utilitatem Ecclesie non vergit, ex cap. 1. de rebus Ecclesie non alien. in 6. vbi etiam declaratur nulla alienatio, si careat legitima causa, & ex Extrauag. *Ambrosia*, eodem tit. ex qua idem colligitur. Sic enim docent Abb. in cap. 1. de in integr. restit. num. 17. in cap. tua, de his, quæ sunt à Prelato, num. 8. & in cap. nulli, de rebus Ecclesie non alien. num. 7. Couar. lib. 2. var. cap. 17. numero 2. Mol. de iust. tract. 2. disp. 368. Suar. 4. tom. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 20. & 21. Bordon. resol. 27. num. 21. & segg. Lezana part. 2. cap. 19. num. 62. & alij passim contra glossam in sum. 12. q. 2. & in cit. cap. sine exceptione, res. profuturum, & quosdam alios, qui sentiunt, quod valida sit alienatio in dicto casu: sed quod tamen Ecclesie competat restitutio in integrum. Vide etiam Dianam tom. 1. tract. 8. resol. 77. & Thesaurum in praxi, part. 1. cap. 35.

Obiicies fundamentum istorum, Ecclesie datur restitutio in integrum, iuxta textum in cit. cap. 1. de restit. in integrum. Ergo signum est, quod alienatio sit valida. Consequentia probatur, quia si alienatio non esset valida, non indigeret Ecclesia beneficio restitutionis in integrum, quandoquidem tale beneficium restitutionis in integrum est remedium extraordinarium, quod non datur ei, cui competit remedium ordinarium, l. in causa, ff. de minorib. At si alienatio facta sine iusta causa esset inualida, competere Ecclesie remedium ordinarium nullitatis, vnde cessaret remedium extraordinarium, ipsum scilicet beneficium restitutionis in integrum. Ergo dicendum est, quod alienatio dicta non sit inualida.

3 Respondetur, quod Ecclesia possit ex duplici capite sibi petere restitutionem rei alienatæ. Primò, si sine legitima, seu iusta causa alienauit, & tunc non petit restitutionem quasi valida fuerit alienatio, sed petit restitutionem rei, cuius dominium in alium transferre non potuit. Secundò, potest petere restitutionem rei alienatæ, quia esto fuerit alienata ex iusta causa, & etiam cum debita solemnitate, tamen fuit in pretio enormiter læsa, ratione cuius enormis læsionis potest petere restitutionem in integrum, iuxta textum in cap. ad nostram, de rebus Ecclesie non alienandis.

Obiicies secundò, saltem alienatio est valida in casu quo Ecclesia iudicauit legitimam, seu iustam alienandi causam adfuisse, quia tunc saltem in foro externo causa adfuit legitima alienandi, & præterea censendum non est Ecclesiam velle, alienationem bona fide factam, irritam & nullam esse. Sic probabiliter Glossa in cit. cap. ad nostram, verb. Enorme. Felin. in cap. quæ in Ecclesiis, de constitution. Couar. 2. var. cap. 17. num. 1. Mol. disp. 468. concl. 6. Vasq. in opusc. de redditib. cap. 2. §. 1. num. 30. & Bonacina q. 8. punct. 4. num. 9. qui subdunt, adesse in alienatione legitimam causam, si in ea seruata fuerit forma à iure præscripta, quamvis Ecclesia admittatur ad probandam illegitimitatem, si se viderit deceptam.

Respondetur, nego antecedens, quia textus supra adducti alienationem sine causa factam irritant absolute, & ex alio capite præsumptio causæ non infert causam, & sic non infert in alienatione valorem: tum quia rarò, vel nunquam posset declarari nulla, & irrita alienatio, quandoquidem contrahentes præsumi debent iudicasse habere iustam causam contrahendi. Sic ex probabiliori docent Nauar. Comment. de alienat. rerum Ecclesie, num. 9. & alij contra Glossam, Felinum, Couartuiam, Molinam, & ceteros in locis supra cit. 6 Vbi bene tamen aduertunt, quod si alienatio bonorum immobilium, vel mobilium pretiorum facta sit pro satisfaciendo debito creditoribus Ecclesie, obligati sunt creditores probare pecuniam mutuam veram esse in utilitatem Ecclesie, alioquin alienatio

nulla erit. Ratio est, quia alienatio horum bonorum facta sine iusta causa non tenet, sed quando pecunia mutuata versa non est in utilitatem Ecclesie, Ecclesia non tenetur illam soluere, *Authent. hoc ius porrectum, Cod. de sacros. Ecclesie & cap. 2. §. hoc ius porrectum* 10. quæst. 2. Ergo non adest iusta causa alienandi, dum non probauerint creditores obligatam sibi esse Ecclesiam ad debitum soluendum. Vide quæ dicebantur supra dub. 9.

Cæterum corollaria, quæ ex dictis in presenti dubit. colligi possent, vide in dubit. sequenti, circa finem.

DUBITATIO XXI.

An saltem alienatio rei Ecclesiastica facta cum iusta causa, sine debita iuris solemnitate, valida sit in foro externo, vel conscientie?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIVM.

- 1 In sententia aliquorum Doctorum valida est alienatio rei Ecclesiastica facta cum iusta causa, sed non seruatis iuris solemnitatibus, saltem in foro conscientie, si adfuerit cum iusta causa liber consensus contrahentium.
- 2 Tota ratio statuendi has solemnitates in alienatione rei Ecclesiastica, est ne Ecclesia præiudicium inferatur, ergo si non inferatur, cessat prohibitionis ratio.
- 3 Contrahens cum Ecclesia sine debita solemnitate, non potest pro arbitratu suo stare contractui, vel ab illo recedere, sed necessario stare illi debet, donec ab Ecclesia non repellitur.
- 4 In foro conscientie sufficit contractum tenere secundum limites iuris naturalis, seu gentium.
- 5 In sententia aliorum probabiliter existimatur dicta alienatio claudicare, in fauorem Ecclesie scilicet valere, si sit in eiusdem utilitatem, secus e contra.
- 6 In sententia cæterorum est inualida dicta alienatio, tam in foro externo, quam in foro conscientie, licet sit in utilitatem Ecclesie.
- 7 Finis prohibitionis dictæ alienationis non est Ecclesie læsio, & fraus, quæ in hoc, vel illo particulari casu ommissis solemnitatibus contingere potest, sed est læsio, & fraus, quæ communiter, & ut plurimum ex illarum omissione ei provenire potest.
- 8 Actus sine forma substantiali non valet.
- 9 Probata solemnitarum omissione contractus in foro externo, quamvis in utilitatem Ecclesie factus fuerit, irritus declaratur.
- 10 Forum conscientie conuenit cum foro externo, cum externum falsæ præsumptioni non innuitur.
- 11 Ecclesia datur optio an velit stare contractui celebrato, necne: debet tamen supplere defectus, qui intercesserunt.
- 12 Ecclesia nolens stare contractui, potest non solum ipsa, sed Capitulum, & Prelatus illius rem a se male alienatam repetere.
- 13 Turpe est factum proprium impugnare, secus est quando sit ob causam necessariam, prope est anima salus, & Ecclesia, seu reipublica utilitas.
- 14 Quod fauore alicuius introductum est, non debet in eius detrimentum retorqueri, si non desit solemnitas, seu forma substantialis.

Respondetur

- ¹ Respondetur, & dico primò, quod aliqui Doctores satis probabiliter sentiunt, talem alienationem, saltem in foro conscientie, validam esse, si scilicet adfuerit alienandi iusta causa, & simul consensus liber contrahentium, & sic quod taliter contrahens cum Ecclesia non teneatur in conscientia ad restitutionem, aut rescindere contractum. Ita Silvester ex Butrio, & Panormitano *verb. Alienatio*, num. 13. Angel. *cod. verb.*, num. 14. Nauarr. *Comment. de alienat. rerum Eccles.*, num. 17. Azor. *2. part. Instit. lib. 9. cap. 1. quest. 9. in fin.* Rodriguez *tom. 1. 99. Regul. quest. 27. art. 9.* Capycius *decis. 16. num. 4.* Beretta *consil. 192.* Gabriel *de rer. alien. conclus. 1. lib. 3.* Reginald. *in praxi tom. 2. lib. 3. o. tract. 3. cap. 6. sect. 2. num. 69. & 70.* Filliucius *tract. 14. cap. 7. quest. 6.* Naldus *verb. Alius*, num. 15. & *verb. Contrahens*, num. 10. & Quaranta *verb. Alienatio*, num. 33. & 50. (quibus fauet etiam Rota Romana *part. 3. lib. 2. decis. 24. num. 3. & 4. lib. 3. decis. 261. num. 6. & 7.*)
- ² Mouentur quia tota ratio statuendi has solennitates in alienatione rei Ecclesiasticæ est, ne Ecclesiæ præiudicium inferatur: ergo si in aliquo casu non inferatur, cessat prohibitionis ratio, atque adeò & cessat ipsamet prohibitio: tum quia contrahens cum Ecclesia sine debita solennitate non potest pro arbitratu suo stare contractui, vel ab illo recedere, sed necessario stare illi debet, donec ab Ecclesia non repellitur, vti rectè ex multis decisionibus, & Doctoribus probat Sarmient. *1. part. de redditibus, cap. 2. num. 18.* & Genuesis *in praxi, cap. 88. num. 1.* Ergo signum est, quod contractus in foro conscientie validus sit, alioquin posset pro arbitratu suo ab illo recedere: tum quia in foro conscientie sufficit contractum tenere secundum limites iuris naturalis, seu gentium, ad quod sufficit, adesse legitimam causam alienandi, & liberum consensum contrahentium.
- ³ Dico secundò, quod alij satis etiam probabiliter sentiunt alienationem claudicare in fauorem Ecclesiæ, scilicet valere, si sit in utilitatem Ecclesiæ; non valere, si non sit in utilitatem illius. Vide Sarmient. & Genuesem *in loc. cit.* & Bonacinum *punct. 4. num. 14. & seqq.*
- ⁶ Dico tertio, quod alij denique sentiunt, tam in foro externo, quam in foro conscientie, inuolidam esse etiam si sit in utilitatem Ecclesiæ. Sic Couarru. *2. var. cap. 17. num. 2.* Molina *de inst. tract. 2. disp. 468. concl. 6.* Vasquez *in opusc. de redditib. cap. 2. §. 2. dub. 14.* Sarmient. *1. part. de redditib. cap. 2.* Menochius *lib. 9. consil. 872.* Riccius *in praxi, part. 1. resolut. 7. 12. & 24.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. 14. num. 6. & tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 20. & 21.* Maceratenfis *lib. 1. var. resolut. 5. num. 6. & 7. & resolut. 50. num. 43.* & Bonac. *disp. 3. de contrahib. feud. quasi. 8. punct. 4. num. 10.* Mouentur, quia expressè irritatur in cap. sine exceptione, 12. quest. 2. cap. tua, de his, quæ sunt à Prelatis, cap. si quis, cap. nulli, de rebus Eccles. non alien. cap. 1. eod. tit. in 6. & Clemens. 1. & Extrauag. Ambrosia, eod. tit. Sed finis huius irritationis non est Ecclesiæ læsio, & fraus, quæ in hoc, vel illo particulari casu, omnis solennitatis, contingere posset, sed est læsio & fraus, quæ communiter, & vtpurimum ex illarum omissione ei provenire potest; qui finis semper perseverat quantumvis vnus, vel alius, & alius contractus in utilitatem Ecclesiæ factus sit. Ergo contractus, in quo sunt ommissæ solennitates à iure ad dictum finem requisitæ, semper est irritus. Confirmatur, quia actus sine forma substantiali non valet. Confirmatur secundò, quia probata tali solennitatum omissione, contractus in foro externo, quamvis in utilitatem Ecclesiæ factus fuerit, irritus declaratur. Ergo signum est, quod etiam in foro conscientie irritus sit. Consequentia probatur, quia forum conscientie externo conuenit, cum externum falsæ præsumptioni non innititur.

Dico quartò, quod hæc tertia vltima sententia est etiam satis probabilis, ex cuius fundamento patet ad primum, & tertium primæ sententiæ argumentum, & ad secundum eiusdem primæ, & etiam ad secundæ sententiæ fundamentum. Respondetur enim, in foro externo non permitti contrahentem cum Ecclesia, vel minore absque solennitate requisita resilire à contractu, in pœnam fraudis, quam præsumitur ille contrahendo intentasse; & idè ad hanc fraudem vitandam, & Ecclesiæ utilitati consulendum, concedi Ecclesiæ, vt si ipsa velit stare contractui absque solennitate facto, alius non possit resilire; si verò velit illum repellere, censeatur repulsus: debet tamen Ecclesia, si velit approbare contractum, approbationem solenniter facere, & solennitates prætermisissas supplere; quia cum contractus à principio fuerit irritus, de nouo contrahit. Vide Sarmient. & Vasquez *in locis supra cit.* & quæ dicebantur *dub. 1. n. 3. & sequent.* Vide etiam Abbatem *in cap. si quis, de rebus Eccles. non alien.* & Nauartum *lib. 1. consil. 20. de rescriptis, edit. 1. vbi* subdunt, quod si è contra Ecclesia nolit stare contractui, possit non solum Ecclesia, seu Capitulum, sed etiam ipsemet Ecclesiæ Prælatus rem à se malè alienatam repetere; quia licet ordinariè non liceat facto proprio contrauenire, & propriam turpitudinem allegare, excipitur tamen, nisi id efficiatur ob causam necessariam ad animæ salutem, vel nomine Ecclesiæ, aut Reipublicæ.

Obiicies, quod fauore alicuius introductum est, non debet in eius detrimentum retorqueri. Ergo cum iuris solennitates introductæ sint in fauorem Ecclesiæ, ne scilicet illa lædatur, consequens est, quod si contractus sine iuris solennitatibus in utilitatem Ecclesiæ sit celebratus, validus sit.

Respondetur, distinguo antecedens: quod fauore alicuius introductum est, non debet in eius detrimentum retorqueri, si non desit solennitas, seu forma substantialis, concedo; si desit, vt est in casu nostro, nego. Præterquam quod ex alio capite restat prouium Ecclesiæ, ne lædatur, vt patet ex dictis, & dicendis.

SECTIO II.

Corollaria.

SVMMARIVM.

- 1 Alienans res Ecclesiæ mobiles, vel immobiles pretiosas sine iuris solennitatibus peccat mortaliter, & censuras incurrit: probabiliter tamen creditur id non procedere quando alienatio est in euidentem Ecclesiæ utilitatem.
- 2 Is, cui alienatio facta fuit non seruatis iuris solennitatibus, tenetur ad restitutionem rei vna cum fructibus perceptis, deductis tamen expensis in foro externo.
- 3 Ecclesia non tenetur pretium restituere, si contractus initus sit mala fide, quia tunc in pœnam delicti commissi emptor pretio priuatur in Ecclesia utilitatem.
- 4 Item si Ecclesia ex tali contractu non sit facta locupletior, licet bona fide ex parte emptoris contractus factus fuerit, sed in tali casu, qui contraxit nomine Ecclesiæ, tenetur pretium restituere.
- 5 Ecclesia tenetur pretium restituere, si pretium retineat, vel locupletior ex contractu facta sit.
- 6 Beneficiarius, si sine iuris solennitatibus incidat arbores, non tamen caduas, tenetur Ecclesia ad damni compensationem.

7 Arbores

- 7 *Arbores non cadue non censentur Beneficij fructus, sed Ecclesia bona.*
 8 *Res Ecclesie si alienata fuerit in casu licito, & cum debita solemnitate, alienatio valida erit, sed respectu lesionis enormis gaudet beneficio restitutionis in integrum.*

- 1 **E**X dictis sequitur primò, quod qui alienat rem Ecclesie immobilem, vel mobilem pretiosam sine iuris solemnitatibus, etiam in utilitatem Ecclesie, peccet mortaliter, & afficiatur censuris, ceterisque pœnis extrauagantis *Ambitiose*, Pauli II. quia inualidè contrahit, & facit contra prohibitionem Ecclesie in re graui: quamvis probabile sit, quod si alienet in euidentem utilitatem Ecclesie, & sic euidenter gerat utiliter negotium Ecclesie, dicta extrauagans recepta non sit, neque quoad pœnas, neque etiam quoad peccatum. Sic Doctores, quos citat, & sequitur Quaranta num. 50. Filliucius tom. 1. tract. 14. cap. 7. q. 6. num. 119. & tract. 16. cap. 9. num. 226. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 16. num. 9. Reginald. in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 6. sect. 2. num. 69. & 70. & Diana part. 1. tract. 8. resol. 7. contra Bonacinam punct. 4. num. 14. Genuensem in praxi, cap. 5. & alios, qui contrarium docent ex eo, quod Clemens VIII. declarauerit quendam Rectorem Ecclesie incurrisse pœnas extrauagantis, & etiam si alienauerit saluo assensu Apostolico: sed ad hoc facile responderetur, id fuisse, quia non euidenter constabat, alienationem fuisse factam in euidentem utilitatem Ecclesie.
- 2 Sequitur secundò, quod is, cui alienatio facta fuit, rem sibi sine solemnitatibus debitis alienatam Ecclesie cum omnibus fructibus (quia res fructificat domino suo) deductis tamen expensis, in foro externo restituere compellatur; quia contractus irritus fuit, & sic non est titulus eam retinendi. Et probatur ex cit. cap. si quis, cap. non liceat, 12. quest. 2. & libemus, & Authent. qui res, C. de sacrosanct. Eccles. & patet ex dictis d. b. 1. num. 3. & seqq. & docent Couar. 1. var. cap. 3. Riccius decis. 79. Mol. disp. 468. concl. 6. Vasquez de redditib. cap. 2. §. 2. dub. 15. & Bonac. disp. 3. de contrahib. feudis, quest. 8. punct. 4. num. 12. Ecclesia verò non tenetur pretium ei restituere, primò si contractus factus sit mala fide; quia tunc in pœnam ob delictum commissum emptor pretio priuatur, in Ecclesia utilitatem, cit. libemus, & cit. Authent. qui res, C. de sacrosanctis Ecclesiis: & tradunt Molina, & Bonacina in locis supra cit. Quin & tenetur in tali casu compensare damnum, quia ob malam fidem censetur fuisse iniusta causa damni. Abbas in cap. si quis, Silu. verb. Alienatio, num. 14. Angelus eod. verb. & num. Molina disp. 468. Less. lib. 2. cap. 24. dub. 10. num. 66. Rodrig. 99. Regul. 7. 27. art. 10. & 11. & alij apud Quarantam verb. Alienatio, ad finem; contra ipsum Quarantam ex parte, Sarmientum, & alios. Secundò, si ex tali contractu Ecclesia locupletior facta non sit, quamvis bona fide ex parte emptoris contractus factus fuerit; quia tunc non Ecclesia, sed is, qui nomine Ecclesie contraxit, tenetur emptori pretium restituere, & illum indemnem seruare; secus si Ecclesia pretium retineat, vel locupletior ex contractu facta sit; quia tunc ipsa tenetur restituere: & sic in tali casu emptor potest rem Ecclesie, aut eius fructus titulo recompensationis pretij sibi restituendi retinere, donec ab Ecclesia pretium sibi restituatur. Sic Abbas in cit. cap. si quis, ad finem, Silu. verb. Alienatio, q. 14. Molina, Vasquez, & Bonacina supra.
- 3 Sequitur tertio, quòd si beneficiarius sine solemnitatibus iuris incidat arbores, non tamen cæduas, teneatur Ecclesie ad compensationem damni; quia arbores non cæduæ non sunt beneficij fructus, sed Ecclesie bona, quorum dominium beneficiarius non ha-

bet. Et quod dixi, verum est, siue incisio arborum dici possit alienatio, siue non, quia & in hoc posteriori casu est saltem beneficiarius Ecclesie iniusta causa damni, uti supra dicebam.

Quod si verò res Ecclesie alienata fuerit in casu licito, & cum præscripta, seu debita solemnitate, valida erit quidem alienatio, sed adhuc, si Ecclesia enormiter laesa reperitur, competet ei, sicut pupillo, & minori contrahenti, beneficium restitutionis in integrum. Qua de re dixi lib. de Parliamentis, dub. 4. sect. 2. & videri poterit Abb. in cap. fraternitatem, de donat. num. 5.

DVBITATIO XXII.

An extrauagans *Ambitiose*, Pauli II. recepta sit in omnibus locis? Vbi etiam de eius pœnis, & an locum habeat in Clericis Regularibus Theatinis?

S V M M A R I V M.

- 1 Extrauagans *Ambitiose* Pauli II. videtur recepta in paucis locis, non solum quoad priuationem beneficij, & officij, sed etiam quoad censuras.
- 2 Constitutio prædicta Pauli II. in sententia Nauarri, quoad pœnam priuationis beneficij nullibi est recepta.
- 3 Consuetudo locorum plurium valet circa obligationem dictæ Constitutionis; fieri enim potest, quod alicubi recepta sit quoad unam partem, & non quoad aliam.
- 4 Constitutio prædicta in Italia videtur recepta & quoad obligationem, & quoad excommunicationem, saltem in casu, quo res alienata non fuerit in euidentem Ecclesie utilitatem.
- 5 Constitutio prædicta non habet locum quoad priuationem beneficij, & officij ante iudicis sententiam, licet à Sacra Pœnitentiaria tales delinquentes rehabilitentur ad beneficia, & officia.
- 6 Administratores omnes alienantes bona immobilia, vel mobilia pretiosa Ecclesiarum, vel Conuentuum contrahunt, præter sacrilegium, excommunicationem ipso facto.
- 7 Quam contrahunt etiam rem alienatam recipientes.
- 8 Non tamen eam, tam alienantes, quam recipientes contrahunt, nisi procedant ex dolo, & malitia; non item, si procedant ex ignorantia culpabili, etiam crassa, supina, & affectata.
- 9 Dicta excommunicatio non est reseruata; quapropter ab illa possunt absolui pro foro conscientie omnes Prelati suos subditos, quin & omnes Confessarii suos penitentes.
- 10 Interdum tamen absolutio obtinetur per breuia ab Vrbe, sed pro foro exteriori, vel etiam pro foro interiori, ad maiorem cautelam, vel ex ignorantia.
- 11 In Tridentino reseruatur excommunicatio, non in alienantes bona Ecclesie, sed in illa sibi usurpantes, seu in proprium usum conuertentes.
- 12 Episcopi, & Abbates contrahunt interdictionem ab ingressu Ecclesie, in quo interdictione si per sex menses persistuerint, suspenduntur à regimine, tam in temporalibus, quam in spiritualibus.
- 13 Ab his pœnis, & censuris, cum non sint reseruata, absolui possunt à quocumque.
- 14 Alij Episcopis, & Abbatibus inferiores contrahunt ipso facto præter excommunicationem, etiam pœnam priuationis